



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 17. De Corona B. Virginis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

evadant, sed ut cœlesti sponso placeant & obediant. Hæc est vera, & perfecta resignatio, & conformitas tuæ voluntatis cum divina, quam quotidie petere à Deo humiliter debes, orans ex corde, & dicens: *O sanctissima Dei voluntas, semper adimplearis in me! O justissima Dei decreta, adoro vos, & vestro beneplacito consecro & resigno totaliter voluntatem meam, affectus meos, & omnia desideria mea. Tuus sum ego, Deus meus, tua est voluntas mea, tuum est quicquid volo, & cupio. Vive, & regna semper in me, & vires meas conforta, ut adimpleam quod te donante proposui.* Hæc & similia verba sæpe iterabis dulciter, & tranquillè, non ore, sed spiritu ea pronuncians, itaut quodammodo ex apice spiritus suavissimè effluant, & distillent; nam sic erunt efficaciora, quàm si per modum orationis jaculatoriæ cum quodam impetu, & conatu proferantur.

§. XVII. De Corona B. Virginis.

INter alias preces, quæ pro Virginis honore fundi solent, valde solennis ea est, & à nemine vel perditissimo omiſſa, quæ per globulos, seu orbiculos precatorios filo insertos fit, & Corona, vel Rosarium nuncupatur. Rosarium centum quinquaginta salutationibus Angelicis constat, præmissâ cuilibet decadi dominica oratione. Corona ex sexaginta tribus salutationibus Angelicis componitur, & septem orationibus dominicis. De Rosario infra, nunc de Corona agendum; quæ quia Deiparæ velut Regium diadema offertur, & tanquam fertum honoris ab ejus benignitate acceptatur, ideo Corona vocatur. Est autem hæc precatio ex sexaginta tribus Angelicis salutationibus compacta, juxta numerum annorum quibus B. Virgo in terris vixisse creditur, ut fert Doctorum probabilior sententia. In cujus recitatione sequenti forma uti poteris; teque paululum recolliges, priusquam incipias, attendens quàm nobile, & omnino Angelicum officium sis obiturus, & ad quam intentio-

nem. Præmissis signo Crucis dices. *Deus in adiutorium meum intende. Gloria Patri. Dignare me laudare te Virgo sacrata, Da mihi virtutem contra hostes tuos.* Tum in prima decade dum dicitur *Pater noster*, memor eris primæ effusionis Sanguinis Domini nostri Jesu Christi in circumcissione: Dum vero recitas decies *Ave Maria*, considera- bis primum statum vitæ B. Virginis, cum adhuc puella in domo paterna commorabatur. Postea dices hanc ora- tionem: *Decies millies benedicant te, gloriosa Virgo, omnes Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Dominatio- nes, Virtutes, Throni, Cherubim ac Seraphim, cum qui- bus speramus aliquando te videre in celo. Amen.*

In II. decade ad orationem dominicam secundam san- guinis effusionem in horto, & ad Angelicas salutationes vitam B. Virginis in templo meditaberis. Deinde sic ora- bis. *Vigesies millies benedicant te, gloriosa Virgo, omnes Sancti Patriarchæ & Propheta, beati Innocentes, & omnes Sancti veteris Testamenti, cum quibus speramus aliquando te videre in celo. Amen.*

In III. decade considera- bis effusionem Sanguinis in Flagellatione, vitamque Deiparæ usque ad annum Chri- sti duodecesimum. Tum dices. *Trigesies millies benedicant te, gloriosa Virgo, omnes Apostoli, & Discipuli Domini, Evangelistæ item & Martyres, cum quibus speramus ali- quando te videre in celo. Amen.*

In IV. decade effusionem Sanguinis in spinea corona- tione, & vitam Virginis usque ad annum trigesimum Chri- sti. Subdes. *Quadragesies millies benedicant te, gloriosa Virgo, omnes sancti Confessores, Pontifices, Doctores, Mo- nachi, & Eremitæ, cum quibus speramus aliquando te vide- re in celo. Amen.*

In V. effusionem Sanguinis, cum Judæi Christum suis vestibus expoliarunt, & vitam B. Virginis usque ad Do- mini Ascensionem. Adde. *Quinquagesies millies benedi- cant te, gloriosa Virgo, omnes sanctæ mulieres, Virgines, vidua, & conjugata, cum quibus speramus aliquando te vi- dere in celo. Amen.*

In VI. effusionem Sanguinis in crucifixione, & residuum vitæ Virginis usque ad mortem. Mox dices. *Centies millies benedicant te, gloriosa Virgo, omnes Sancti & Sanctæ Dei, cum quibus speramus aliquando te videre in cælo. Amen.*

Sequitur septimum *Pater noster*, ad quod meditaberis ultimam Sanguinis effusionem in lateris apertione. † Tum dices ter *Ave Maria*, commemorando mortem, Resurrectionem, & Coronationem B. Virginis. In fine verò post symbolum Apostolorum dicitur Hymnus *Ave maris stella* cum versu *Ora pro nobis sancta Dei genetrix, & Collecta, Defende quesumus Domine, B. Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum. Dulce nomen Domini nostri Iesu Christi, & Beatissimæ Matris ejus sit benedictum in secula seculorum. Amen.*

§. XVIII. De Rosario B. Virginis.

Hoc Rosarium adinstar psalterii Davidici ex centum quinquaginta salutationibus Angelicis tanquam ex totidem sua veolentibus rosis, componitur, & hinc Rosarii nomenclaturam accepit. Dividitur in tres partes, seu quinquagenas; suntque cujusque partis quinque mysteria, dum quinque decades percurruntur, consideranda. Primæ partis mysteria dicuntur gaudiosa, & sunt ista. Annunciatio Incarnationis, atque ipsa Incarnatio Filii Dei: Visitatio Elizabeth, & Joannis Baptistæ sanctificatio; Partus B. Virginis, & Nativitas Salvatoris: Oblatio pueri Jesu in templo, & Virginis Matris Purificatio; (sed huic Mysterio alii substiruunt Magorum adorationem.) Inventio pueri Jesu duodennis in templo. Secunda pars habet mysteria dolorosa, videlicet orationem Christi in horto, ejusque capturam: ejus flagellationem: spineam coronam: crucis bajulationem: Crucifixionem. Tertiæ partis mysteria sunt gloriosa, nimirum Resurrectio Do-